



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

Cur sit obediendum aliis. Cap. XXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

in omni religione summè utilis & necessaria est. Obedientia igitur est propriæ voluntatis subiectio arbitrio superioris ad licita & honesta. Obediendum est autem soli Deo propter se, cuius serui sumus proprij; vel creaturæ rationali vice Dei, Angelo vel homini, in his quæ Deus à nobis requirit, & quæ ad Deū ducunt.

Cur sit obediendum aliis.

CAP. XXXIX.

RATIO obedientiæ triplex est. Vna quia quod licet ipse Deus omnibus & singulis ita præsit, ut ab ipso solo accipiunt quod sunt & habent & possunt; tamen propinquiora sibi non loco, sed similitudine, plenius accipiunt ab ipso quod inferioribus & sibi propinquioribus influant; & illa iterū suis inferioribus vsq; ad infimum: ut inferiora superioribus subdita sint, & superiora inferioribus præsentent, & ea regant; ut summa medijs, & media præsentent imis. Sic Angeli superiores inferioribus præsentent; & cælestia terrenis; & irrationabilibus rationalibus. Genes. Faciamus hominem, &c. & præsentent piscibus maris & volatilibus cæli, & bestiis terræ. ad Rom. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Substantia enim diuina ita eleuata & segregata est ab omni creatura; quod inferiora immediatè motum eius sustinere vel suscipere non possunt, nisi medijs superioribus, cum ipse immotus in se omnia ineffabiliter moueat & gubernet: ita ut nihil sit omnibus eo præsentius, & nihil incomprehensibilius. Secunda ratio est, quod cum nõdum sit omnibus datum esse docibiles Dei, ne ignari errent à via Dei, qua necesse est eos peruenire ad gloriam cælestem, expedit ut se-

T s quantum

Alij alijs
cur debeant
subiacere.

Gen. 1, 26.

Rom. 13, 1.

quantur ducatum doctorum suorum: sicut cecus dat manum ductori ne cadat vel impingat vel erret. Tertia ratio est, ut homo qui sub Deo esse noluit peccando, & ita superbiendo gratiam Dei perdidit, satis faciat ei, subiciendo se homini propter Deum: & ita per humilitatis meritum, gratiam Dei recuperet quam amisit. Quāto maior autē & purior fuerit humiliatio & promptior, tāto plenior erit gratiae recuperatio, & gloriae remuneratio. Magnitudo humiliationis attenditur in difficultate iniuncti operis; puritas in simplicitate intentionis; promptitudo in alacritate executionis.

De triplici obedientia.

CAP. XL.

EST autem triplex obedientia, scilicet necessitatis, cupiditatis, & charitatis. Necessitate obedit, qui cogitur inuitus; & libenter esset liber si posset vel auderet: ut asinus, & serui maleuoli & similes. Cupiditate obedit, qui mercede terrena, vel pro commodo corporis vel consolatione exteriori libenter facit quod iniungitur: ut canis, & accipiter, & mercenarij, & similes illis. Quanto autem obedientia plus habet de temporali commodo vel solatio, tanto minus habet de merito corā Deo. Merces primi est euasio poenae, quam timet incurere si nō obediatur. Merces secūdi, est spes adipiscendi quod desiderat obediendo obtinere; ut munus vel solatium temporale. Obedientia charitatis est, quando ex charitate Dei, & propter Deum, & propter diuinam remunerationem obeditur, largē sumpto nomine charitatis, quo tam timor poenae quā desiderium praemij, quā affectus amoris Dei includitur, primum est incipientium, secundum proficientium.